
OD KSIĘGARZY POLSKICH
Z OKAZJI
WSPÓLNEGO JUBILEUSZU
600-LECIA
UNIWERSYTETU JAGIELLOŃSKIEGO
I KSIĘGARSTWA POLSKIEGO
PRZEKAZUJE
CENTRALA KSIĘGARSTWA
DOM KSIĄŻKI

KRAKÓW, W MAJU 1964

CIVITATEM GEDANENSEM DECRETO TRIBUNALITIO LUBLINI NUPER IN SE LATO NON TENERI EXPOSITIO.



GEDANI,
TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBERI, SENATUS ET ACAD. GYMNASII TYPOGRAPHI.

Nos Præconſules & Conſules Regiæ civitatis Gedanenſis, omnibus, qvorum ſcire intereſt, notum facimus: oblatum nobis eſſe die decima qvarta Novembris, anni præſentis milleſimi ſeptingenteſimi ſexageſimi tertii, ex actis judicialibus caſtrenſibus Skarſzevienſibus, per miniſterialem, decretum Illuſtris Tribunalis generalis Regni, Lublini feria tertia poſt feſtum Sancti Franciſci Confeſſoris proxima, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo tertio, latum, rigidum ſane & atrox, qvodqve nos anxios & ſolicitos redderet, etiam horrore perfunderet, niſi a judicio latum eſſet, cui in nos, civitatem hanc & in Pruſſiæ civitates omnes, nulla eſt decernendi poteſtas, neqve fuit unqvam.

Per

Per conſtitutiones Terrarum Pruſſiæ, & privilegium, qvod vocatur, *inſtantiarum*, tum uſum paullo antiqviorem, & Nobilitatis & civitatum, ultima a judiciis inferioribus ad judicia Regis aulica erat provocatio. Inſtituto ordinatoqve in comitiis a. 1578. Tribunali Regni, tentatum ibidem, an Pruſſi novum hoc judicium, tanqvam ſupremum, pro judiciis Regis aulicis recipere vellent: qvod cum recuſarent, per conſtitutionem penes ſua judicia relinqvebantur, ut eos non Tribunal, ſed ipſe Rex judicaret *). Hoc de omnibus Pruſſis generatim; ciuitatibus Pruſſiæ & hoc ſervire poterat, qvod ad Tribunal ſolum a judiciis terreſtribus, caſtrenſibus, ſuccameralibus & commiſſorialibus provocari poſſet, id qve illis haud liceret, qvi jure Magdeburgenſi, Germanico & Culmenſi uterentur **). In comitiis a. 1585 factum, ut Nuntii terreſtres ex Pruſſia, nullo antea ſuorum Ordinum conſulto, nullo a ſuis mandato, ſed ſolum ſua ſponte, certis tamen conditionibus, Tribunal reciperent, utqve ſibi liceret, ad judicia aulica redire, ſi qvod ex provocatione ad Tribunal incommodum ſeqveretur, & ſalva in proximis comitiis declaratione, utrum a Tribunali judicari, an ab illo recedere mallent. Nulla tum de eo ſcripta Regni lex, comitiis irritis. Civitates in iisdem comitiis præſentes & a Nuntiis diverſæ, Regem orabant, ut cum privilegiis antiqvis, & conſtitutionibus Terrarum Pruſſiæ, qvæ adhuc in uſu fuiſſet, ad judicia aulica provocatio maneret integra, & id, de qvo Nuntii a reliqvis Ordinibus diſſentirent, ad generalem Pruſſiæ conventum remitteretur. Rex civitatum precibus ita annuebat, ut in ſeqventi Pruſſorum conventu, Ordines per ſuum Legatum certiores redderet: „ Se asſenſum eſſe, ut Nobilitas Petricoviæ in Tribunali Regni deinceps judicaretur. Civitates, ut *qvæ nullius alterius qvam Regiæ Majeſtatis cognitioni ſubeſſe vel poſſent, vel debe-*

„*rent*,

„*rent*, in eo qvo ante fuerint ſtatu permanerent„. Tum Regi ex eodem conventu gratiæ agebantur, qvod Nobilitatem a Tribunali Petricoviæ judicari conſenſerit, ſed civitatum nomine addebatur: eas, qvemadmodum jam in Regni comitiis teſtatæ eſſent, fieri id contra *jura*, *privilegia*, *libertates & conſuetudines harum Terrarum*, ita etiam nunc teſtari, & priſtinis ſuis juribus, libertatibus & conſuetudinibus inſiſtere, omnino conſtitutum habere. Cum civitatibus ſentiens Mariæburgenſis Palatinus, Fabianus Czema, demonſtrabat, „quam periculoſum, quam legibus & Pruſ„ſorum libertati adverſum eſſet, in alienum forum migrare „& exteris legibus judicari velle„. Idem contradicebat, cum ex ſequenti ejusdem anni ordinario conventu, primum ad Tribunal appellaretur, & civitates Conſiliariorum conſultum, ſeu *laudum*, ſub ſigillo Pruſſico obtinebant, cujus ſumma erat: „Poſteaquam a multis immemorabilibus annis, „vigore jurium, privilegiorum & immunitatum harum Ter„rarum, ratione inſtantiarum, hic mos obſervatus fuerit, ut „Nobiles terrigenæ ab inclytis judicibus terreſtribus, ad „Conſiliarios harum Terrarum, ac denique ad Sereniſſimos „Reges Poloniæ appellarint, illi vero moderno tempore, con„tra hujusmodi privilegia & immunitates conſuetudinesque, „loco ultimæ inſtantiæ apud Sac. Regiam Majeſtatem, no„vo & antehac inuſitato modo, non tantum Tribunal in „Polonia Petricovienſe elegerint ac ſuſceperint, verum „etiam citra unverſum & unanimem omnium Dominorum „Conſiliariorum ac Nobilium conſenſum, ab hoc conventu „ſuas appellationes eo reapſe direxerint, atque harum Ter„rarum publico ſigillo, hoc tempore ad id uti voluerint; „quod Spectabiles majores civitates, Thorunenſis, Elbin„genſis & Gedanenſis, in Conſilio præſenti per ſuos Deputa„tos & Internuntios, prouti & una cum minoribus civita„tibus in præteritis Varſavienſibus comitiis, ac nupero Ma-

„riæburgenſi conventu jam factum eſſet, quoniam hoc di-
„ligenti inſtantia, ſolicitationibus & admonitionibus haud
„amovere potuerint, pro ſe & nomine ſuorum Seniorum,
„adeoque omnium incolarum, adverſus tale attentatum No-
„bilitatis, publice ac ſolenniter proteſtatæ ſint, atque ſe
„non minus præſentes modernos, quam ſucceſſorum ergo
„præcuſtodiverint ac muniverint, quod talis novitas hisce
„terris ac civitatibus, in ſuis juribus, privilegiis, immunitati-
„bus ac conſuetudinibus, his & futuris temporibus, non
„præjudicioſa aut noxia eſſe debeat, & quod ipſi in omne
„id, quod hic realiter attentatum ſit, neutiquam conſenti-
„re poſſint nec velint temporibus præſentibus„.

*) Vol. Conſtit. p. 332. tit. Pruſſy (II. 969.)

**) Vol. Conſtit. p. 327. 328. tit. Co ſądzic maią. (II. 964. 965.)

Ex hoc tempore, Nobilitas ſe a civitatibus ſeiunxit, ut ipſa judiciis aulicis omiſſis, ad Tribunal appellaret, civitates antiqvam ad aulam provocationem retinerent. Sola pariter Nobilitas a. 1588. in comitiis, ad Tribunal conſtitutione admiſſa, ut tamen priſtinam appellationem ad aulam repetere poſſet, ſi tribunal minus conveniret, & proximis comitiis mentem ſuam declararet, utrum in Tribunali perſeverare, an ad priora ſua judicia redire mallet. Tum alia conſtitutione modus deſcriptus, qvo Pruſſi in Tribunali judicandi eſſent, cauſis civitatum nominatim exceptis (*). Serius Pruſſorum Nobilium ſecuta extra comitia a 1593. declaratio, qvibus in itinere ſuo per Pruſſiam, Rex ad libellum ſibi porrectum reſpondebat, licere ipſis perpetuo ſub Tribunalis jurisdictione manere.

(*) Vol. Conſtit. p. 514. tit. Przyſtąpienie. Et tit. Obyczay (II. 1269.)

In

In civitatibus mutatum nihil, qvæ suas, qvibus usæ fuerant antea, ad judicia aulica appellationes servarunt integras, ultima in hunc diem ad ea provocatione. Neqve Serenissimi Reges passi unqvam, ut hæc judicandi civitates potestas sibi eriperetur, sed si qvando Tribunal eam sibi arrogare conaretur, Rescripto suo intervenerunt. Nec Dominorum Cancellariorum defuit vigilantia, ut Regium jus tuerentur: civitatibus non tardantibus ad Regem confugere, ut promtum sibi esset adversus Tribunal præsidium. Tribunal vero ea fuit erga Reges reverentia, ut interpellatum cederet, partes & causam ad judicia aulica remittens, & si decretum festinatum esset, illud irritum haberet. Qvare nullo exemplo doceri potest, civitates ejusmodi decreto tribunalitio, tanqvam legitimo paruisse, aut Regem præcepisse ut parerent.

In comitiis a. 1623. Nuntii postularunt, ut Thorunenses, qvod invectionem salis transmarini in Poloniam majorem impedivissent, a Tribunali judicarentur: qvibus Regis nomine respondebatur, non posse Thorunenses, nisi coram judicio aulico, reos agi. In qvo Nuntii acqviescebant. Vladislao IV. regnante, civitates Thorunum & Gedanum, harumqve cives, aliqvoties ad Tribunal citati ibidemqve damnati, sed Rex interveniens & citationes & decreta irrita declaravit, Tribunali non obnitente. Nec minus Prussiæ Ordines a 1645. Regem orabant, ut civitates molestia exterorum judiciorum, Tribunal potissimum intelligentes, levaret, & fide publica, salvos conductos appellamus, ab injuriis ex latis in eas decretis, tutas præstaret. Memorabile est exemplum trium Gedanensium a. 1671. a Tribunali damnatorum, qvos non solum Rex absolvit, sed etiam Ordines Prussiæ, in generali conventu, iis integram famam, honorem & securitatem afferebant, declarantes,

decre-

decretum in foro non competenti latum, caventesqve „ne „per ejusmodi evocationes ad fora non competentia, jura „& libertates harum Terrarum & civitatum, ordoqve in„ſtantiarum labefactaretur & convelleretur„. Lato a. 1688. in Thorunum decreto tribunalitio, cives aliqvot in publica via intercepti, Lublinum, ubi tum agebatur Tribunal, catenati ducebantur, capitis ſupplicium ſubituri. Sed Rex Joannes III. indignatus, viarum ſecuritatem & ſuam judicandi civitates poteſtatem violari, captivos Thorunenſes Varſaviam venire & liberos domum remitti juſſit, totumque decretum ut irritum, oblitteratum eſt. Movit a. 1742. Nobilis quidam, Konopka, eidem Thorunenſi civitati, coram Tribunali litem, obtentisque in eos decretis duobus, Rex cauſam ad ſe revocavit, & Konopka, decretis irritis, remiſſus a Tribunali ad judicium Aſſeſſoriale, ibidem accuſationem iterare & decretam expectare adactus eſt.

Memorata modo exempla ex pluribus decerpta, abunde docent, qvam vano ſucceſſu, actiones adverſus Pruſſiæ civitates in Tribunali inſtitutæ, utqve ex decretis, ſive in actores, ſive in judicium, fructus redundarint nulli, opera & ſumtibus fruſtra factis, cum Regis auctoritas Tribunali adhuc prævaluerit, ſimul leges antea citatæ, uſu continuo firmatæ ſint. Qvo magis miramur, Illuſtre Tribunal Regni, contra leges, contra uſum, nos & qvosdam noſtrorum civium, nuper citaſſe & damnaſſe, cum tamen etiamſi noſtras leges ignoraret, ex Regni legibus ſcire debuiſſet, civitates omnes, evocari ad Tribunal non debere, idqve in poſtrema ordinationis tribunalitiæ retractatione a. 1726. repeti, „ut neqve partes, neqve judicialia officia, „in qvavis cauſa, qvovis prætextu, citentur, ſub pœnis evo„cationis mille marcarum & pœnis perſonalibus arbitrariis. „Et ne Tribunal ſe in cauſas juris Regii ingerat, ſed ad „forum

„forum competens remittat, ſub decretorum nullita-
„te„ (*).

*) Conſtit. a. 1726. Vol. VI. p. 434.

Demonſtrato, Tribunali Regni jus in civitates non eſſe, tota nobis intentata actio corruit. Actor extra forum nos reos egit; judicium non legitimum citavit; inqviſitio, parte altera recte abſente, inſtituta; decretum cauſa haud cognita, & a non judice latum; deniqve pœna imaginaria, niſi juſta pœna dicenda, ad qvam innocentes vi, carceribus, rapinis, cæde cogendi ſint. Et hic poſſemus calamum ponere, qvia exceptio fori in judiciis præcipui momenti eſt, & ſi probatur recte objici, totam actionem perimit. Cur non valeret eadem exceptio ſupra probata, adverſus Illuſtre Regni Tribunal? Sed nonnulla de actore, de cauſa, de jure Magiſtratuum noſtrorum in Nobiles, de pœnis a nobis luendis, aliisqve, non ut cum Tribunali in litem deſcendamus, a qvo qvam longiſſime abſumus, ſed in lectorum gratiam, forſan in aliorum exemplum, memorare placet, breviter, & ut fieri poterit, perſpicue.

Fuit Actor Magnificus & Generoſus Dominus Wilczewſki, Nobilis Pruſſus ex Mariæburgenſi palatinatu, Regius *Cubicularius* & *Colonellus*, ac a dicto palatinatu, judex ad Tribunal electus, qviqve per tempus aliqvod cum conjuge, qvam ex Hollandia adduxerat, in hac civitate degit, debitor difficilis, in Magiſtratum contumax, violentus in vulnera & cædem. Credidit Illuſtre Tribunal, Dominum Wilczewſki, qvod judex tribunalitius electus, qvod Nobilis, Regisqve a miniſterio togato & militari, per leges Regni, non a Magiſtratu civili citari, judicari & cuſtodiæ mandari potuiſſe. Sed aliis legibus utuntur Pruſſiæ, aliis

 Polo-

Poloniæ civitates. Non possunt per ordinationes tribunalitias, judices a tempore electionis, usque ad finem sui muneris, ab ullo judicio judicari aut in jus vocari *). At lex hæc in Prussiæ civitatibus, quæ Tribunali non parent, haud viget, neque facile afferretur exemplum, Nobilem, quod judex tribunalitius electus, ad Magistratum civilem citatum & ab eo judicatum haud fuisse. Alias adversus Dominum Wilczewski, ipsa tribunalitia ordinatio allegari posset, judices eligi vetans, qui *processibus*, *condemnationibus*, *convictionibus* juris & facti obnoxii sint **), cum Dominus Wilczewski, ante suam electionem, in judicio damnatus, decreto non satisfecisset. Nobiles etiam & qui Regis a ministerio, quando in civitatibus Prussiæ commorantur, non possunt Regni legibus pro se uti, cum illæ in Prussia ejusque civitatibus per se non obligent, nisi Ordines Prussiæ eas suo consensu probaverint. Regni constitutionibus, æterna pax inter Regem Poloniæ & Ordinem Teutonicum, cui a cruce nomen, a 1466 composita, potior est, quæ permittit, ut delinquens in foro delicti, & contrahens, de contractu recenti, in foro contractus queat conveniri: nullo inter Nobilem & civem facto discrimine. Seqvuntur pacem perpetuam constitutiones Terrarum Prussiæ, quæ dum præcipiunt, ut Nobilis & civis, quisque coram suo judice ordinario conveniatur & justitiam requirat, casus recentes & actiones criminales, excipiunt, „ut ad mentem pacis per„petuæ, delinquens in loco delicti deprehensus & contra„hens de contractu recenti, in loco contractus conveniatur„. Pacem perpetuam & constitutiones Prussiæ, cum cæteris civitatibus, etiam hæc civitas adversus Nobiles in hunc diem observavit, observabitque in posterum. Qualis autem intelligatur ordinatio civitatis Gedanensis anni 1526, inter constitutiones Regni, in decreto citata, ignoramus, nisi significet constitutiones, dicto anno Gedani a sola Nobilitate impetra-

petratas, quæ a. 1537 ab omnibus Prussiæ Ordinibus, ad antiqua jura retractatæ & anno sequenti a Rege confirmatæ sunt, a nobis paullo ante titulo *Constitutionum Terrarum Prussiæ* allegatæ. Constitutiones autem civitatis Gedanensis, a. 1570 in comitiis approbatæ, pariter in decreto memoratæ, sunt constitutiones *Karnkovianæ*, a D. Stephano in Tractatibus portorii abrogatæ.

*) Constit. a. 1726. vol. VI. p. 420.

**) Constit. a. 1726. vol. VI p. 418.

Quod ad causam Magnifici & Generosi Domini Wilczewski, debebat ille civi nostro & mercatori, florenos ducentos & unum, a quo aliquoties frustra compellatus, deferebatur a. 1762 ad Nobilem & Spectabilem Dominum Præconsulem & Vice-Præsidem Weickhmannum, Collegam nostrum perdilectum, a quo ante citationem, per amicum semel ac iterum monebatur, ut mercatori satisfaceret, abnuentemque, creditore urgente, ter citari jubebat, & in non comparentem, tanquam contumacem, lata sententia, ut certo die debitum cum sumtibus in litem præstaret, nisi mallet excuti, ut ex rebus captis venditisque pecunia redigeretur. Missus ad eum Domini Vice-Præsidis notarius quinquies, ut humanis verbis sententiæ parere persuaderet, qui sextum cum publicis famulis reversus, ut aut pecuniam, aut ex supellectile tantum caperet, quantum pretio suo, & debitum & sumtus in litem æquaret. Tum nova de his sumtibus contentio, quæ ita exarsit, ut dominus Wilczewski, arrepto ense latiore, pallasch alias vocato, notario alterum brachium feriret, ictu ad cutem penetrante, ut per dies aliquot dolor sentiretur, famulis graviora vulnera minitans. Nihil ergo supererat, quam in tutelam notarii & famulorum, subcenturionem cum aliqua militum manu mittere. Non

 tamen

tamen tum sedatus Dominus Wilczewski, sed brevius sclopetum in subcenturionem intendit, quod hic post magnam luctam, ipsi e dextera extorsit, ac sic salvus illæsusque evasit, Dominus Wilczewski vero, ut publicæ securitati prospiceretur, in militarem custodiam deductus, post tres circiter horas, ad preces Magnifici Domini fratris, honeste demissus est, cum antea debitum, & sumtus in litem, nec non mulcta aliqua ob motas turbas, numerata in ejus hospitio pecunia, soluta essent.

Tantum de causa Magnifici & Generosi Domini Wilczewski, quam ipse longe aliter, in *manifestatione* adversus Nobilem Dominum Vice-Præsidem, ejus notarium & subcenturionem, actis judicii Terrestris palatinatus Mariæburgensis Stumæ exhibita, narravit, multis quæ falsa sunt additis, quamque in libello, Varsaviæ cum aliis communicato & per Poloniam sparso, repetiit & invidiose auxit, quasi in ipso, quia æs alienum dissolvere noluit ac prior vi & armis usus, omnis Equestris ordo, quem vere colimus, despectus, læsusque fuisset gravissime. Huic tamen ejus narrationi debentur, quæ in decreto leguntur, quibusque ideo non immoramur, ne videamur velle nos coram Illustri Tribunali, in causam ingredi. Ad *manifestationem* in *remanifestatione* Nobilis Domini Vice-Præsidis nomine, actis judicialibus Stumensibus inserta responsum, & libellus Varsaviæ publicatus pariter confutatus est, omnemque rem uti gesta, coram judicio Regio Assessoriali exposuissemus, si Magnificus & Generosus Dominus Wilczewski, injuriam, quam sibi a Domino Vice-Præside, aut a nobis illatam credit, ad Regiam Majestatem detulisset, aut ad nostram citationem, se judicio Assessoriali stitisset. Sed placuit ipsi, Illustre Tribunal Regni præferre, ubi nobis absentibus, dictis suis facile fidem se inventurum, & in nos, qvæ vellet, obten-

obtenturum credidit, si modo efficeret, ut sua, pro universæ Nobilitatis causa haberetur, qvod ipsi ex animi sententia successit. Petricoviæ enim infames judicati, Lublini plures pœnæ in nos decretæ, neqve profuit, citatum a nobis Dominum Wilczewski ad judicium Assessoriale, ut pœnam subiret, qvam illi debent, qvi ad alienum forum evocant, & Sacræ Regiæ Majestatis nomine monitum Tribunal, ut causa hac desisteret, a solo judicio Assessoriali judicanda.

De pœnis autem idem repetendum, qvod supra de jurisdictione in nos tribunalitia diximus, cum, qvod nemo diffitebitur, haud pœnam statuere qveat, qvi jurisdictionem non habet. Potestas qvam sibi in nos Illustre Tribunal sumsit, minime est legitima. Reverentia, qva illud proseqvimur, obstat, qvo minus arrogantiam, potestatem solutam & dominationem appellemus, qvæ nobis objiciuntur, qvia Dominus Vice-Præses, contra Nobilem aes alienum solvere detrectantem, leges exercuit, & pro cive nostro, ut fas erat, jus dixit. Leges Regni, qvæ hac occasione in decreto citantur & in qvas peccasse, ideoqve pœnas promeruisse arguimur, nobis scriptæ non sunt, ipsumqve Statutum Thorunense, qvod pariter allegatur, qvamvis civitatis Prussicæ nomen præfert, non est statutum Prussicum, sed Polonum, in comitiis Regni tum Thoruni habitis scriptum; cautumqve a. 1618. ne illud in civitatum Prussiæ injuriam explicaretur.

Minime autem rebelles evadimus, qvando Illustri Tribunali non paremus, ut in decreto asseritur. Soli enim Regi fidem & obseqvium juramus, in hunc solum rebellionis crimen committi potest, si fide & obseqvio exuto, arma adversus Eum capimus. Tribunal Regni colimus, ut supremum in Polonia judicium, sed cui nullum in nos jus est, qvodqve fidem & obseqvium a nobis exigere neqvit. Pœnæ

qvæ

qvæ irrogantur, sunt graves, multæ & variæ, etiam toti nostro collegio ignominiosæ, quas commemorare, parum esset ex Illustris Tribunalis dignitate, magis convenit, cum toto decreto æterna oblivione delere. Unum tamen mulctæ genus non silebimus, qvod Sacræ Regiæ Majestati injuriosum, & in Regii juris imminutionem cedit: Regis mandatum in præsenti causa ad Tribunal, mille; citationem Domini Wilczewski ad judicia assessorialia, pariter mille; absentiam nostram a Tribunali, duobus millibus; Rescriptum Regium, ne causa a Tribunali judicetur, totidem millibus marcarum Polonicarum æstimari: qvasi nobis non liceret, gratis & sine mulcta, ad Regem Ejusqve judicium, adversus judicem non legitimum confugere, Ejusqre tutelam implorare, qvando jura discrimen adeunt, & qvasi ex Tribunalis arbitrio penderet, jurisdictioni Regiæ in Prussiæ civitates limites statuere, aut eam contra ipsius Regni leges plane abrogare. Ignorant ejusmodi ausum contra iura Regia superiora tempora, cujus primum exemplum nostris servatum, quod posteris, forsan non credituris, memorabitur.

Sed quæ & quantæ illæ poenæ sint, eas subire, nobis & tribus civitatis Ordinibus, Illustre Regni Tribunal mandat, cum præter nos, duo tantum Ordines sint. In nos pariter & Ordines cæteros, nisi paruerimus, Illustrissimos Dominos Palatinos Prussiæ incitat, ut totius provinciæ Nobilitatem ad arma convocent, & adhibitis militibus Regni, ab Illustrissimis & Excellentissimis Dominis exercitus Ducibus, in auxilium mittendis, poenas a personis quibuscunque & bonis, cum civitatis tum privatorum, repetant. Verum uti in Prussia Dominis Palatinis, non nisi in publicum hostem, Ordinum consensu, omnem Nobilitatem ducere licet, sic interregno, ab Ordinibus judicia, quibus Domini Palatini præsident, adversus pacis publicæ violatores, quocunque nomine venientes, invasores, prædones, homicidas insti-

inſtituuntur. Supereſt pariter laudum interregni a. 1674, quo Dominis Palatinis executio decretorum Tribunalitiorum in Nobiles latorum, ſuſpendere injungitur. Et Sigismundus I. in conſtitutionibus Terrarum Pruſſiæ, uni tantum Palatino, legitimam executionem regiorum decretorum mandat, & ſi unus Palatinus cum ſui palatinatus Nobilibus non ſufficeret, ad ſe negotium referri vult. At decreti tribunalitii executionem, & unus Dominus Palatinus ſuſcipere nequit, eſſet enim executio non legitima, quia agitur de decreto a judicio non legitimo lato. Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Duces excercitus Regni, tum per æquitatem animi, tum ob jurisjurandi religionem, nulla in nos ſubmittent auxilia, cum obligentur, „ad occupationes bono„rum quorumvis, tam officioſas & juridicas litis, per de„creta qualiacunque judiciorum, vulgo condemnationes, „qvam prætenſivas, aſſiſtentiam militarem non addere, ac „milites immiscentes ſe iis, criminaliter punire„ *).

(*) Conſtit. Vol. VI p. 261.

Non ſatis eſt Illuſtri Regni Tribunali, omnem Pruſſiæ Nobilitatem & milites Regni auxiliares in nos exciviſſe, verum etiam, niſi decreto obtemperaturi, totam urbem proſcribit, ut in Regno & provinciis, in fluviis & mari capi poſſimus, & Domino actori perſonas omnium ordinum, earum familias, bona, merces capere, perſonasqve uti infames, coram qvovis judicio capite plecti permittit. Ergo inſtructis navibus, Dominus Wilczewſki terras, fluvios, & mare infeſtabit, qvem nos qvocunqve loco deprehenſus fuerit, ut latronem & piratam, cum ſociis, ultimo ſupplicio plectemus, & vim iniuriasqve, nobis & civibus, bonisqve & mercibus illatas, repreſſaliorum. qvod vocatur, jure, in perſonis, bonis & mercibus vindicabimus, & initis cum Ordinibus conſiliis, pro publica privatorumqve ſecuritate ac jurium noſtrorum uſu, nihil omiſſuri, etiamſi extrema fuerint.

Cita-

Citationes Domini Wilczewski, decreta Domini Vice-Præſidis in eum lata, & contra ejus manifeſtionem, judicio Stumenſi exhibitam remanifeſtationem, in qvatuor angulis prætorii Lublinenſis, per miniſtrum juſtitiæ, ad tubam cremata eſſe, patienter ferimus, qvia fas & jus igne non abolentur. Eſt nobis juſtitiæ miniſter, ſuppetit lignum, neqve tibicine caremus, ſed non placuit Magnifici & Generoſi Domini Wilczewski manifeſtationem & libellum Varſaviæ & per Poloniam ſparſum uri, alia Dominum auctorem manet pœna, ſi publicum hoſtem agere coeperit. Qvæ de eo actis Vice-Præſidialibus inſerta ſunt, ejus memoriam ſervabunt.

Supereſt, ut in præſenti publica orbitate, Celſiſſimum & Reverendiſſimum Dominum Regni Primatem & Interregem, inclytosqve Sereniſſimæ Reipublicæ, tum Pruſſiæ Ordines, ſubmiſſe & obſervantiſſime oremus, dignentur ſapientiſſime providere, ne inteſtina qvies turbetur & homines prædæ inhiantes nobisqve malevoli, decreti tribunalitii obtentu, nos & cives noſtros, tanqvam proſcriptos invadere, bona & merces rapere, & in civitatis poſſeſſiones irruere audeant, ſed ut legibus confiſi, ſub Sereniſſimæ Reipublicæ tutela, interregnum ſecure tranſigamus, donec futurus Rex, cujus electionem Deus qvam feliciſſime evenire jubeat, Regnum capeſſiverit. Qvam Celſisſimi & Reverendiſſimi Domini Primatis & Interregis, ac inclytorum Ordinum gratiam, vigilantiam curam, benignitatem, nos, ut tota hæc civitas, cultu debito, reverentia, obſervantia, ſtudio, eoqve ſummo, venerari & proſeqvi, omni tempore laborabimus & annitemur.